

FRANCISCI ERNESTI BRVCKMANNI,  
PHIL. ET MED. DOCT.  
EPISTOLA ITINERARIA LXXVII.  
SISTENS  
ANTRA  
DRACONVM  
LIPTOVIENSIA.

AD  
VIRVM PRÆNOBILISSIMVM, CLARISSIMVM  
ATQVE DOCTISSIMVM

DOMINVM,  
DOMINVM  
CAROLVM NICOL. LANGIVM,  
LVCERNENS. HELVET. PHIL. ET MED. DOCT. ACAD.  
CÆSAR. LEOPOLDINO-CAROL. NAT. CVR. GERMAN.  
SOCIETAT. REGIÆ PRVSSICÆ ET PHYSIO-CRIT.  
SENENS. NEC NON REIPUBLIC. LVCERNENSIS  
SENATOREM SPECTATISSIMVM.

---

CVM FIGVR. ÆNEIS.

---

WOLFFENBVTTTELÆ, MDCCXXXIX.

nec in tanta copia effoditur; interim hæc aurifodina inter reliquas Hungar. pronunc est omnium ditissima, et tota ad socios, **Waldbürger**, qui istam unice suis sumptibus colunt, pertinet. Saxum durissimum & firmissimum est, hinc nullo ligno ad sustentanda ligna & mineras in fodinis opus. Mineras hic 1) solis, cum & sine auro nativo puro, solidissimas, & 2) Antimonii vulgaris ac solaris, accipi. De monte nuptiarum diaboli vid. **Joh. Hübneri Reales Staats-Lexicon** p. m. 1788.

Non procul Botza adest **Faraba**, locus aliquot tantum domos, quas metalliflores incolunt, continens; auri habet fodinas, quarum aurum & nativum purum, & igne excoctum, in probatione eminentissimi, præ omni auro Hungarico, coloris est, nam XXII. grad. continet; dicitur proxime ad Arabicum accedere, hinc & locus **Faraba**, **أيارب**: Arabia appellatus. Minera autem est saxum durissimum, ex cinereo. album, cum & sine auro nativo. Ad **Bozam** & **Farabam** nulli unquam passeris observantur, causa est, quod hi loci & tota circumcirca vicinia ad aliquot milliaria sylvis condensis & montibus gibbosis tantum cincti, nec frumenti culmus in toto isto tractu unquam crescat. Infelicis terræ, in qua hoc avium genus non inveniendum, signum putatur; sic in Bohemia ad locum **Dei donum**, **Gabe Gottes** appellatum, nulli observantur passeris. **Marsman**. in sua **Miologiæ** cap. 1. num. 2. pag. 3. enarrat: se a fide dignissimis percepisse, nullos inveniri passeris juxta castrum **Abmige**, **Egg**; ac, si quis vivus illic feratus, eum statim amori: rationem deducunt, quod, cum olim tanta passerum turba illic inventa, qui fruges devorarent, penitus granaria expilarent; vir quidam arte quapiam illas aviculas fugavit. De excommunicatione passerum, eccle.

alesiam sedantium & divinum officium impediuntur, vid. Barthol. & Chassaneo, *Itin. Burgundum*, Consil. 1, pag. 5. num. 127. Agrum ad Gallneck in Carniola pasceres nunquam attingunt; superstitioni hujus causam in praestigias, quibus saga quaedam malefica has ab isto agro profigaverit aves, rejiciunt; traditionem hujus relegationis fabulosam vid. apud Valvasor in *Die Ehre des Herzogthums Crain*, Part. III, pag. 162. Contra signum felicitatis ac benedictae regionis, in qua harum avium magnae & numerosae spectarentur catervae, multam enim ac insignem frumentorum ibi copiam adesse docerent, foret. conf. *Novellen aus der gelehrten und curiösen Welt*, Anno 1692. Mens. Aug. pag. 779.

Die nono Maji 1724. ad iter paratus Novo Zolio decessi, ac post duo milliaria pagum *Alseburg* dictam, qui aliquot officinas excoctorias, ad Vallem Dominorum pertinentes, habet, pertransivi; ex hoc via per longam vallem, tophe repletam, & tandem per montis alti & acclivis cacumina petrosa, *Sucha* vocata, ad pagum *Ribura*, 2. mill. duxit; hinc oppidulum *Rosenberg* ad fluvium *Wagg*, in quem flumen parvum *Ribura* suas aquas hic effundit, itum, 3. mill. salutavi; porro ad magnum quendam pagum, *Nagy - Paludia* vocatum, qui *Gymnasium Evangelic.* & domum precatoriam habet, iter proseguimus. Hic beneyole a Dom. *Bohurad*, *Gymnasii* Rectore, omni morum honestate suavitateque conspicuo viro, exceptus, quocum in equo ad Dom. *Zmestkal*, nobilem *Pannonic.* qui palatium suum in pago *Kis - Palugia* habet, dimid. mill. iter feci. Hic nobilis, ad omnia officiorum genera mihi paratissimus, me adjuvit, ac celebratissima, in Comitatu *Liptovienfi* obvia, *Dracorum* antra lustrandi occasionem fecit. In securitatem mihi tres ex suis scutibus, bombardis mutitos, nec non

quatuor rusticos ex suis subditis, secures humeris sustentantes, ad urforum forte, qui hybarnacula in antris di-  
ctis interdum habent, procursum ac insultum averten-  
dum, adjecit; comites præterea itineris verbi evangelici  
minister, Cortini, vir pius & probus a Romano Ca-  
tholicis ab officio suspensus & relegatus, qui jam una vi-  
ce iter subterraneum in antra laudata fecerat, nec non  
supra memoratus Dom. Rector fuerunt; cum his novem  
personis iter vespertino tempore per pagum *Bodjex* seu  
*Bodavalva*  $\frac{1}{4}$  mill. & sequenti mane, cum solis ortu, die  
nempe 12. Maji 1. mill. ad montem, in quo antra conspi-  
cienda, feci. Non diffiteor, quod abdita naturæ stupe-  
dæ ac miratu dignæ claustra cuivis sine labore, molestia,  
sudore & periculo haud sint patula, hinc enim abdita au-  
diunt, hinc abstrusa, hinc recondita vocantur. Interim  
tamen haud invia est ad virtutem via, & emergens in-  
de nunquam satis laudandum commodum omnia largo &  
gratissimo fœnore suaviter & abunde recompensat; sit sa-  
lebrosa ac periculosa experimentandi via, sit pretiosa, sit  
laboriosa, sit sudorifera, omnes tamen hæc difficultates  
curiosum naturæ & sedulum scrutatorem neutiquam abster-  
rere poterunt, cum sit certissimus, se tramite hoc & faci-  
lius ad naturæ thesauros in visceribus terræ profunde re-  
conditos penetrare, & quas alii struunt, insidias, eo  
promptius superare posse. Sicut enim illic in addiscendis  
physicæ præceptis:

Segnius (ut Horatius habet), irritant animos demissa  
per aurem,

Quam quæ oculis subjecta fidelibus, & quæ

Ipsæ sibi tradit spectator.

Sic nominato die 12. Maji 1724. ex pago *Bodjex* seu *Boda-  
walva* cum verbi Evangel. ministro, Dom. Cortini, Dom.

Bohufad, Gymnaf. Evangel. Nagy - Pallugyensis Reftore;  
 ulterius ad *Antra draconum Deminfalvensia*, in præalto mon-  
 te fita, accessi; horum tria sunt cognita, quorum no-  
 mina lingua Sloavica sunt. fequentia, primum audit *Cérna*  
 i. e. antrum nigrum, 2) *Benikova* & 3) *Okno*, i. e. fene-  
 fra. Priora duo in itinere fubterraneo perluftravi. Alias  
 adducuntur *Cferna majus* & *minus*, *Okno* utrumque, &  
*Dvere* cum prodigiosis offibus, quæ illinc funt extracta.  
 Caverna draconis, in qua draco habitavit, a Rzaczynski  
 Hiftor. Natur. Polon. pag. 104. in Poloniam locata, du-  
 bio procul ad adducta antra rectius pertinet? *Draconum*  
*antra* ex eo falutata, quod vulgus, dracones olim in i-  
 ftis habitaffe, & mortuos fua fceleta ac offa reliquiffe,  
 inique putaverit. Dom. Zméffkal, ad introitum fpecus  
 vel in ipsis antris urfos nos offenfuros, verens, bombar-  
 dis & securibus armatos fcribas & fubditos in fubfidium ad  
 defenfionem nobis dederat, fed pronunc nulli, nec horum  
 latibula, obfervabantur.

Mons, in quo antra, nempe *Cferna majus*, con-  
 fpiciebantur, pineis, abietibus, laricibus & aliis tunc tem-  
 poris late viridibus arboribus, variisque fruticetis totus  
 tectus erat. Hinc & inde magnæ rudes rupes, faxeique  
 fcopuli prægrandes pofiti fpectabantur. Vegetabilia quæ-  
 dam, nempe *Trichomanem*, *Sedi* majoris fpeciem, *Den-*  
*tariam*, *Chriftophorianam*, *Polygolam* flore cœruleo,  
 & flores nonnullos alios, faxa & montem ascendens,  
 notavi.

Prius antrum admodum bonum, fpatiosum ac be-  
 ne apertum habet introitum, qui in plano inclinato fu-  
 per meras rupes & lapides folutos, fub calceis interdum  
 cedentes, glaciæ fragmentis, quæ in descendendo & a-  
 fscendendo probe notanda, ne lapfus fiat, nec in natibus  
 fedecula, qualem tunc plures plus vice fimplici non fine  
 lamen-

lamento ob perceptum dolorem fecerunt; hic & illic mixtos, ad 40. orgyjas ad minimum in profundum cavissime itur; ego ipse, in scopulis descendens, binorum calceamentorum partes posteriores ligneas, quas Germani *Abfaze* vocant, ab initio sub introitu statim perdididi, quæ jactura mihi in eundo multam fecit molestiam, peculiaremque postea pedibus excitavit lassitudinem.

Hinc sinistrorsum in planitiem, quamdam specus venimus, fundus mera glacies erat, tam firma, tam crassa, ut nec securibus confodienda ac pertrumpenda fuerit. In abdomine per cavum seu foramen angustum repentes parvum quoddam spelæum intravimus, in hoc globulos parvos stalacticos, nive candidiores, Mili fermen, vel etiam confectionem saccharatam globosam minorem, corpus sine anima dictam, albiſſimam exacte referentes, admirationeque satis dignos, offendimus. Ex hac specu dextrorsum ivimus, viam denuo in spelæum quoddam parvum meditabamur; quidam ex scribis, vir robustus ac animosus, cum candela sua ardente (candelarum num. XXIV. nobiscum sumseramus) festinans dux & autor nobis viam monstrare, reliquisque præire cogitans, subito ex insperato ad posteriora in glacie lapsus, in ista cito repens, in profundum, candela extincta, incautius delapsus, ita ut non aliter putaverimus, istum bonum virum, quod ad omnes artus caputque contractum, in abyssum dejectum & occisum, ex oculis enim nobis momento citius ereptus erat, præterea nec vocem amplius, dubio procul summe perterrefactus, aliquot temporis minutis edebat, non sine summo omnium horrore, donec tandem, se vivum esse & illæsum, clamabat, ac ardentem in tenebris candelam poscebat. Tres candelæ accensæ per glaciem de-

mitte-

mittebantur, sed nulla ex omnibus fortunam habuit, ut ardens, nam glaciei mador nunquam non istas statim exstinguebat, ad scribam pervenisset; hinc, ex consilio gesto, quatuor praesentes rustici ad rupis latera gressus & vestigia in glacie securibus suis, pro commo-  
diori descensu, fecerunt, quibus factis, nos reliqui omnes per vestigia gradatim ad istum in antrum quod-  
dam parvum, cujus fundus ac tectum nil, nisi gla-  
cies, erat, sensim & feliciter cum Deo dejecti; ex  
aqua, quae ex tecti summi laquearibus decidua est, con-  
stanterque decidit, in glaciem concreta, admodum e-  
legantes, brachiis non raro vix comprehendendae, co-  
lumnar, quae pulcherrimum spelæo prospectum dabant,  
non sine peculiari animi recreatione admirandae e-  
rant.

Ex hoc spelæo, ut in antrum maximum perveni-  
remus, mons non mediocri glacialis, quem vero, ob  
fundum nitentem ac expolitum, nisi saepius memorati  
quatuor rustici gradus glaciei instrumentis suis insculpsis-  
sent, superare, plane impossibile fuisset, iterum inter  
rupes gradatim ascendendus. Per hanc artetactam viam,  
hæc glaciale, in antrum præcipuum & maximum, in  
quo nec minimum glaciei vestigium amplius observandum,  
feliciter intravimus.

Hæc specus omnium maxima quidem existit, non  
æque tamen lata, interim in recta linea est admodum  
longa. Erant, qui perhibebant, istam St. Jvan, op-  
pidulum 1. mill. ab ingressu antri distans, ad quod vero,  
propter aquam antrum in medio dissecantem, sub terra  
non perveniendum, contingere. Fundus & tectum sta-  
lactite undique mirandum in modum incrustatum. Gut-  
tæ aquarum Gorgonicarum, dum sensim atque sensim in  
fundum & saxa majora & minora, hinc & inde strata,  
in

In tectis & rupibus abrupta, ex anti caelo decidunt, gratam symphoniam cum musica harmonia auribus tribuunt, post vero ad certum temporis spatium in lapides mutantur. Ex hac aqua stalactica concreta seu stalactite variae figurae & icones, majores & minores, inque quaque prostant, sic turres, statuae, columnae, organa pneumatica musica, quae, instrumentis ferreis tacta, sonorum edunt tinnitum ac clangorem, fistulae organicae, cathedrae sacrae, &c. nec non infinita alia stupenda & admiranda naturae ac imagines ex constanter decidua aqua a natura ludente ac polymorpha effigiatæ & concretæ summe mirantur. In specie in variis fundi regionibus monticuli parvi ex metis rotundis globulis, quorum isti, in superficie positi, magnitudinem pisorum, quidam vero adhuc majorem crassitiem habent; qui in medio existunt, minores sunt superioribus, & qui ad fundum proxime vel radicem monticulorum inveniuntur, instar arenæ puræ ac albæ, videntur, leviores tamen arena vulgari sunt; hoc peculiare stalactitæ genus: Stalactites, coloris ex albo lacteo, instar esturæ Cornu Cervi, Wasser: Stein, so im Hermentespfels des Wassers versteinert: a me vocatum fuit, confecti observantur; porro adest stalactites candidus, arenam globulosam mole & quantitate representans, Stein Gries, weil es recht accurat als Gries aussieht. Plura de his globulis & reliquis stalactitæ speciebus hic abferre, cum de bellariidulapideis Liptoviensibus Hungariis in peculiari epistola, quæ inter itinerarias illis est, Anno 1728. prolixè egimus, & varias istorum species in Icon. expressas cum lectoribus curiosis communicavimus, supersedemus. Ad sunt ex globulis recensitis, concretæ & firmite compactæ massa, albæ, quas Dominus Buchholtz, Scholæ Evangel. Cæsareoforensis Rector, ich

ichtyoolithum, *Fisch, Roggenstein*, quia piscium ovaria exhibent, vocat, sed multum ab isto differunt, cum ichtyoolithus sunt ovaria vel ovula piscium petrificata, hi autem globuli ex solo naturæ formantis lusu urice ex aqua decidua singulis diebus concresecant. Turonii in Gallia sunt certa antra, *les caves gouttieres* vel *les caves goutrees* vocata, in quibus aqua in lapidem, globulos saccharatos minores referentem, mutatur. Ad oppidulum Vigand, non procul Monte Pessulano, fons, cujus aqua in calculos parvos, saccharum dulce exhibentes, concresecit, existit.

Ferne in medio specus aliam stalactitæ speciem, saxi majoribus vel rupibus firmiter accretam, quæ parvulorum fungulorum vel rectius Agarici vegetabilis albi minoris figuram præ se accurate ferebat, notavi. Ex stirpibus elegantioribus stalacticis, partim longitudine ulnam superantibus, perplura specimina aderant; inter stirpas ex laqueari pendentes & permultas pellucidas, calamus scriptorium crassitie referentes, intusque cavas, interdum longitudinis ulnæ quadrantis, quæ vero rarissime integræ decerpendæ, ac, licet quasdam totas & indivisas cautissime ex tecto depromptas acceperam, in itinere tamen glaciali, inque exitu super rupes, iterum fractæ, observavi; quidam stalactitæ uvarum, pomorum, pyrorum &c. figura gaudebant.

Admodum longo spatio in hoc antro subterraneo ante oculos emenso, ad aquæ albæ turbidæ rivulum, in medio antrum transverse secantem, ad cujus ripas terra admodum levis, tenuis, mollis ac alba observabatur, quam vulgus lac montis, *Berg, Milch*, a colore albo & quod continuo ex specus rimis effluat, vocat, pervenimus; nobis videtur esse marga vel Agaricus petrus seu Album Nihil, & est materia terrestris ac farinacea al-

ba tenuissima; dubio procul nihil recedit a Lacte lunæ Helveticorum? Me iudice, hoc montis lac materia, ex qua stalactites fit, existit. Hanc aquam cum nemo pervadere cuperet, retro in hac plaga nos conferebamus, licet antrum post rivum, secundum relationem, usque ad St. Johannem, St. Ivan, oppidulum parvum, pertingat, & per eandem viam, quam ingressi, super glaciem, rupes ac saxa, ex specubus in diem & solem bono cum Deo procedebamus.

Cum extra antrum nos a labore lassitudineque artuum contracta reficeremus, juxta ac cibum potumque vinosum interea a Domino Změškal, viro benignissimo, huc per duos subditos missum, consumeremus, vires amissæ sensim a singulis recolligebantur, hinc sine mora ulterius montem altius, inter rupes ac fruticeta, ad dimidiam ferme horam, usque ad sequens antrum ascendebamus.

Apertura seu orificium istius, æque ac prioris, sat spatiosum erat, ita ut admodum commode, imo erecto corpore, in istud descendere potuerimus; fodina præterea non admodum profunda observabatur. Antrum totum stalactite, stirias, fructus, poma, pyra, uvæ, aliasque res quamplurimas referente, ubique refertum, sed nec minimum vestigium globulorum in hoc, uti in præcedente, inveniendum, nec glacies ulla observanda.

Antrum directe in conspectu in satis magnam longitudinem ad amissim procedit. Cum iter ulterius in isto subterraneum prosequeremur, magnos acervos sic dictorum ossium draconis, **Drachti, Anochi**, ex quibus & singula antra nomen Antrorum draconum acciperunt, offendebamus, quæ vero nihil recedebant ab istis ossibus, in specubus Sylvæ Hercynicæ colligendis, &

& Unicornu fossile vulgo salutatis. In patriam maxillam, dentes, unguam & dorsi vertebram, paulo tamen duriorum, nec tam molliter calcinatam, ac ossa antrorum Sylvæ Hercynicæ, sed firmiorem & compactiorem, mecum attuli; hæc ossa in tanta hic prostant copia, ut integra plaustra colligenda. Dominus Georgius Buchholz, olim scholæ Nagy - Pallugyensis Rect. pronunc verbi divini Evangelic. ad ecclesiam Windicam minister ac Rector scholæ Kesmakinensis, vir sane curiosus, qui multam operam naturæ miracula in regionibus Hungariæ pericrutandi impendit, aliquando integrum sceleton draconis, ut vocant, in hoc antro reperi-  
 tum; in technophylacium Regium Dresdam misit, pro quo gloriosissimus Rex nummum aureum, thaleri magnitudinis, in uno latere Regis augustissimi imaginem, in altero urbem Dresdam exhibentem, laudato Rectori gratiosissime dono dedit. In his antris natura innumeris draconibus (si fabula vera?) sepulchrum posuit, inquit Raczynski Histor. Natur. Curios. Polon. pag. 246, sed, me iudice, hæc ossa nunquam draconibus propria fuerunt, sunt potius ex ursis, qui adhuc hic nostris temporibus in densis sylvis & montibus saltuosis grassantur, nec non leonibus, qui olim in allegatis antris latibula sua forsan habuerunt, vitam senio ac morbis connecti finiverunt, ossaque, post putredinosam carnis absorptionem, reliquerunt, quæ pronunc semicalcinata, hinc linguæ admota adhærescentia, ex terræ & montium visceribus eruuntur. Incolæ hujus Liptovien-  
 sis & vicinorum Comitatum Hungaric. in iis potissimum morbis, qui ab exacerbatis naturæ motibus originem trahunt, hoc fossile animale & osseum non sine fructu usurpant, non aliam, præter absorbentem, præcipi-

tantem, refrigerantem & tonico-adstringentem virtutem habet.

In cavernis montium ossa ignoti cujusdam animalis reperiuntur. Joh. Paterfon Hayn in *Miscell. N. C. Decim. I. An. I. observ. 139. pag. 257. & observ. 194. pag. 366.* De antris draconum, secundum pastorum quorundam traditionem, refert & credit: quod draco enervatus & senio languidus factus nunquam non se super alium draconem ponat; sicque se recreare ac confortare querat; cum vero hoc modo unus super alium succumbat & moriatur, cumulus tandem ossium, carne in putredinem resoluta, relinqueretur. Sed est suppositio falsa nec satis probata, ex allata incerta fabulosaque armentariorum traditione tantum & unice orta. confer. de his draconum ossibus & horrificis antris, *die Breslauer X. und V. Gesch. XXVI. Versuch pag. 644.* *Miscell. N. C. Decim. I. An. 4. & 5. observ. 170.* De Draconibus Carpathicis & Transylvanicis pag. 229. Hapeli Relat. Cur. Part. I. pag. 217. In antiquis speluncis reperiuntur lapides dentiformes, *dentes draconum* vocati, (non sunt lapides, sed tantum ossa calcinata,) qui in aquam projecti bullas excitant (non aliter ac alia ossa calcinata & porosa,) & adversus venena valere feruntur; quod sint draconum, ut fertur, illud nego, inquit Borellus in *Hist. & observ. medico-physicis pag. 181.* ob abundantiam, sed existimo, potius esse piscium quorundam dentes, utpote Delphinorum vel Cetorum, qui diluvii tempore in antris reconditi remanserunt, maxillæ enim integræ quandoque dentibus ornatae reperiuntur &c. P. Stephan. Csiba dissert. de montibus Hungariæ pag. 114. scribit: Est spelunca duplex uno in saxu in Comitatu Liptoviensi supra pagum Divi Johannis, magnæ vastitatis, tantæque longitudinis, ut ex una parte montis ingentis, ad aliam par-

partem ejusdem penetrare quis possit. Sed hoc hactenus nemo unquam examinavit. Sciendum autem laudatum Dominum Buchholtzium finem & terminum antri invenisse. „ In Comitatu Albensi, idem autor l. c. pag. „ 113. habet, ad fines Albæ Julix est caverna, in qua „ & multa & integra, licet nuda cute capita, cætera „ que ossa mortuorum draconum inveniuntur. Quæ „ unde, vel quomodo in antra illa Dacica dracones delati sint? Resp. per diluvium ex Africa, aut ex locis „ aliis, ubi gignuntur dracones &c. sed nulla videtur „ necessitas huc recurrendi, cum constet pluribus relationibus interdum in his quoque regionibus in antris „ & cavernis etiam aliquanto minoribus serpentes ingentes vivos ad magnitudinem draconis haud parum „ accedentes deprehensos fuisse; cur ergo negemus in „ his tam vastis cavernis, si non dracones. serpentes „ saltem ad magnitudinem draconum proxime excrecentes natos fuisse.


Quoddam ex visis antris a Domino Matthæo Bel, verbi Evangelici predicatore Posonienfi & polyhistore Pannonico, in Prodromo Historiæ Hungar. Nov-antiquæ figura ænea, quam supra laudatus Rector Cæsareoforensis characteribus & lineis autoptes & autographus signaverat, admodum pulchre delineatam. Conf. quoque Abrahami Vateri, Wirtenbergensium Aesculapii, dissert. de calculi in vesica felles generatione 1722. edita. Et sic, secundo quoque antra consultata ac permenso, per pagum Deminovat, ad Dominum Zouchkal, cui infinitam retuli gratiam, & cupis precebatissimi viri nomen carum in æternum gratissimè prosequi animo non desinam, Kis-Pallogyam seu Mala-Paloczka, 1½ mill. retroivimus. Hisce vale, Vir summe, in artis medicæ gloriam &

& studii rerum naturalium emolumentum feliciter vive,  
 ac me semper *Tuum*, semper ama. Wolfenb. die 4  
 Januar. 1739.

Tibi addict.

BRVCKMANNVS, D.

- Fig. I. sistit vertebram }  
 II. maxillam } draconis.  
 III. dentes }  
 IV. unguam }  
 V. dentem non fossilem, pro dra-  
 conis dente in Silesia emtum.



Ad Ep. It. LXXVII.

Fig. V.





Fig. I.



Fig. III.




Fig. III.




Fig. II.

